

nisi quasi in potētia, vt patuit. solum ergo habet esse in ea, ut cadit in consideratione intellectus, pertractantis, & conferentis circa eam, ut dictum est. Si vero oporteret omnem diuersitatem rationum diuinorum attributorum accipere ad aliquam realem distinctionem, penes quam acciperetur, ipsam tamen realem distinctionem non poneremus ad extra, sed intra in diuinis, puta distinctionem personarum, & personalium emanationum. Cum enim omnia diuina attributa pertineant ad intellectum, aut voluntatem, filiusq; procedat per modum intellectualis operationis, & spiritus sanctus per modum operationis liberalis, ac voluntariæ, quæcunq; in attributis pertinent ad intellectum, reducuntur, & habent respectum ad emanationem uerbi: quæcunq; vero pertinent ad uoluntatem, reducuntur, & habent respectum ad emanationem spiritus sancti: vt sicut apud intellectum creaturæ naturalem non concipiuntur diuersæ rationes circa diuinam essentiam, ut bonitas, sapientia, nisi ex respectu ad bonitatem, aut sapientiam sibi correspondentem in creaturis, ad quas reflectit oēm suum intellectum: sic apud intellectum diuinum, ac beatum, non concipiuntur diuersæ rationes sapientiæ, & amoris circa diuinam essentiam, nisi ex respectu ad emanationem filij, qui est sapientia genita: & ad processionē Spiritus sancti, qui est amor procedens, ad quos dicitur omnem suum intellectum. Sicq; diuersa attributa pertinentia ad intellectum, & uoluntatem, distinguuntur per respectum ad illas emanationes, in quantum secundum rectam rationem intelligendi mediatis, vel immediatis ordinantur ad illa, & sic recto ordine rationis a reali simplicitate diuine essentiæ secundum rationem intelligendi diuini intellectus, aut beati primò concipiuntur diuersæ, & distinctæ rationes attributorum, a quibus procedunt realiter distinctæ emanationes personarum, ubi cessat omnis essentialis respectus, qui est in diuinis. Et mediatis ubi distinctis personarum emanationibus procedit a diuina essentia inuersitas creaturarum, ad quas emanationes illæ accidentalem habent respectum, vt secundum hoc gradatim, secundum rationem intelligēdi a prima unitate, quæ est in fine simplicitatis uirtute omnia continentis, procedat omnis numerus, & rationum, & rerum relatarum a Deo, rerum quoque absolutarum in creaturis. Hæc omnia Henricus.

Scotus.

¶ Nunc recitanda est opinio Scoti, qui in hac re contradicit tam præiudicatæ positioni Henrici, & etiam Thomæ, Alberti, & Aliorum iam præfatorū, quam positioni ab Henrico recitatæ ac reprobatæ, Itaque Scotus ait: In ista quæstione sunt multæ opinioniones, quas non intendo omnes recitare, sed due sunt tenentes partem negatiuam, uidelicet, q̄ cum simplicitate diuina non sit distinctio perfectionū essentialium, attributorum, præcedens aliquo modo omnem actum intellectus, quæ tamen opinioniones inter se contradicunt. Vtraque ponit, q̄ cū simplicitate Dei non fiat distinctio attributorum aliqua, nisi tamen ratione. Sed prima ponit, q̄ nec illa potest haberi, nisi per actum intellectus intelligētis Deum per respectum ad extra. Secunda, s. Henrici, ponit ista distinctionem rationis posse haberi abique respectu ad extra. Deinde Scotus primam illam narrat opinionem, sicut iam ex uerbis Henrici narrata est. Aliam quoq; quæ est Henrici, enarrat: & arguit contra eam, quia secundum eam distinctio perfectionum attributorum est fundamentum respectu distinctionis personalium emanationum,

Scotus.

sed distinctio illarum realis est: nulla autem distinctio realis præexistit necessariò distinctionem, quæ tantum est rationis, sicut nec aliquid uerè reale præexistit id, quod est mere ens rationis: ergo distinctio attributorum non tantum est rationis, sed aliquo modo ex natura rei. Assumptum probo, quia ens reale quod distinguitur contra ens rationis, est id quod ex se habet esse, circumscripto omni opere intellectus. quicquid autem dependet ab ente rationis vel præexistit, illud est ens rationis, ergo nil tale est ens reale. Item ens rationis est posterius ente reali, ergo non fundamentum, & origo illius. Si autem dicatur, quòd attributa non sint fundamenta emanationum distinctarum ad intra, sed quòd sola essentia diuina cum relationibus principiet eas, & tamen intellectus potest postea considerare ipsam essentiam, cum in relationibus principiat hanc vel illam emanationem, & tunc considerare rationem naturæ, & uoluntatis. & tamen non præcedunt ibi ex natura rei. Contra, in illo instanti originis in quo filius generatur quæro an principium productiuum eius alio modo se habet, quam principium productiuum spiritus sancti ad ipsum, an non: si non, ergo non magis est filius nec imago patris ex ui productionis sue, quam spiritus sanctus: si sic ergo in illis signis originis ante omnem actum intellectus, habetur aliqua non identitas formalis. Nec uales attribuerē istam distinctionem relationibus, quoniam omnis relatio æque naturaliter respicit suum correlatum, ergo essentia, vt sub ratione spiritali, æque naturaliter respicit spiritum sanctum sub ratione spiritali, quæ respicit generatum, vel genitum. Non ergo posset ibi saluari aliquis alius, & alius modus producenti naturali ter, & liberè propter relationes, fed tantum si absolute quod producens producit, fit alterius rationis. Præterea, Deus ab æterno intelligit se, & uult se sub alia, & alia ratione, quia sub ratione ueri intelligit se, & sub ratione boni uult se: ergo est ibi distinctio ueri, & boni sub ratione formalium distinctionum in obiectis, ante omnem actum circa talia obiecta. Insuper ostendo, quòd formaliter ueritas, & bonitas, quælibet perfectio simpliciter sunt in Deo ante omnem actum intellectus. Qualibet enim perfectio simpliciter est formaliter in anteperfecto ex natura rei: quia aliter non esset simpliciter perfectum, nec esse quo maius cogitari non posset. Aliter etiam perfectiones, quæ participationem formaliter sunt in creaturis, non essent formaliter in Deo, a quo participantur. Vt rursus probo, quòd tales perfectiones in natura rei ante opus intellectus non habent identitatem formalem, quoniam intellectus actu suo non potest causare nisi relationem rationis ex hoc scilicet, quòd uirtus collatiua, potens hoc ut cognatum conferre ad aliud. Quæro ergo, utrum ueritas præcisè dicat illam perfectionem, quæ est in re formaliter, aut præcisè illam relationem factam ab intellectu, aut utrunque. Si præcisè relationem rationis, ergo non est perfectio simpliciter: si utrunque, cum illa non sint unum nisi per accidens, quia relatio rationis cum ante referibili, nunquam faciunt unum per se. Separa igitur ista duo, quæ concurrunt in isto ente per accidens, & sequitur tunc, quòd ueritas semper dicentis præcisè illam perfectionem in Deo, & bonitas simpliciter: & tunc ultra, cum nulla sit distinctio in re summa, siue secundum opinionem præfata, siue secundum eius expositionem, oportet, quòd dicant